

PROCANCELLARIVS
D. AVGVSTVS FRIDERICVS
SCHOTT

SVPREMAE CVRIAE PROVINC. ET ORDINIS ICTORVM
ASSESSOR, IVRIS SAXONICI PROFESSOR PVELICVS
ORDINARIVS, NEC NON COLLEGII MINOR.
PRINCIP. SODALIS

SOLLEMNITATEM INAVGVRALEM
DIGNISSIMI CANDIDATI
M. ERNESTI FLORENTIS FRIDERICI
CHLADENII
VITEMBERGA - SAXONIS

D. XX. IVNII A. O. R. CIOIOCCCLXXXII

IN AVDITORIO ICTORVM
CELEBRANDAM

INDICIT.

IN EST

*Obferuationum ad Legem Saxonicam electoralem de cauffarum
minutarum processu*
SPECIMEN PRIMVM



De Proc. Sax. in Gen. Fasc. I. / F. Sax. P. 325.

3.

2179

Hist. Saxon.

^{K.}
254, 8.

VERSCHIEDENARTIGE

BEWAHRTE VERBÜNDUNG

SOHOFF

BEI DER ERSTE WELCHE ER SICH ERGABT

WURDE ER ERSTENS VON SEINER FRAU

UND DANN VON SEINER TOCHTER

ERLANGT

UND ERHÄLT DABEI SEIN

LEBENSRECHT

UND ERHÄLT DABEI SEIN

LEBENSRECHT

UND ERHÄLT DABEI SEIN

LEBENSRECHT

UND ERHÄLT DABEI SEIN

LEBENSRECHT

UND ERHÄLT DABEI SEIN

LEBENSRECHT

UND ERHÄLT DABEI SEIN

LEBENSRECHT

UND ERHÄLT DABEI SEIN

LEBENSRECHT

UND ERHÄLT DABEI SEIN

LEBENSRECHT

UND ERHÄLT DABEI SEIN

LEBENSRECHT

UND ERHÄLT DABEI SEIN

LEBENSRECHT

UND ERHÄLT DABEI SEIN

LEBENSRECHT

UND ERHÄLT DABEI SEIN

LEBENSRECHT



OBSERVATIO I.

*In ditone Schleusingensi Comitatus Hennebergici necessitas
oblationis ad iurandum in caussis minutis exulat.*

Quod in *Ordinat. Proc. Sax. Vet. Tit. XVIII. §. 9.*
de obligatione partis litigantis, cui iurisiurandi
sive delati, sive relati, sive suppletorii, sive pur-
gatorii praestatio sententia iniuncta est, intra octiduum a
tempore rei iudicatae computandum sub desertionis poena
ad iurandum se offerendi et citationem petendi cautum
erat, id in *Ordinat. Recogn. ad b. Tit. §. 7.* mutatum qui-
dem et abrogatum legitur, adeo, vt hodie in terris electo-
ralibus, quae nouam hanc legem iudiciariam sequuntur, nul-
la amplius eiusmodi oblationis necessitas adsit, sed iudex
vel alterutra parte petente, vel sponte ac officii causa ter-
minum iuriiurando praestando praefigere debeat. At in il-

A 2

lis

IV

lis provinciis imperio Serenissimi Electoris nostri parentibus, in quibus ob peculiarem earum formulam veteris legis iudicariae usus mansit, ut in ditione Schleusingensi Comitatus Hennebergici, hunc fatalem oblationis terminum a litigatore, qui iurare iussus est, ni iusiurandum deseruisse videri velit, necessario adhuc seruandum esse, nemo rei forensis Saxonicae peritus est, qui ignorat. An vero eadem offerendi sollemnitas etiam in causis minutis, post legem de proprio modo in hoc causarum genere procedendi, primum a. MDCCCLIII. in ipsis terris electoralibus, mox vero sequenti anno in portione Schleusingensi, additis nonnullis et mutatis iuxta huius ditionis singularem conditionem, publicatam ^{a)} adhuc obtineat, solet plerumque, si occasio euenerit, in utramque partem acriter disputari. Nec destituta est sententia affirmantium argumentis aliquam veritatis speciem prae se ferentibus. Nam sicut verissimum est et inter forenses patriae Iureconsultos expeditum, usum Ordinationis Processus Saxonicae electoralis recognitae, quae hanc oblationis ad iurandum necessitatem in vniuersum abrogauit, nondum in Comitatus Hennebergici fora penetrasse: ita nec vllum expressum vestigium, quod partem, cui iusiurandum super causa minoris momenti impositum, ab hac oblatione liberari ostenderet, in ista lege de causarum minutarum formula iudiciaria occurrit. Sane in §. IV. et V. vbi regulae de sacramento cum necessario et legali, tum delato ac relato traduntur, nulla plane talis oblationis mentio

^{a)} Mandat die Abstellung proceffualischer Weitläufigkeiten in geringfügigen Rechtsachen in der gefürsteten Grafschaft Henneberg, Schleusingischen Antheils betr. d. d. 31. Dec. 1754 in Continuat. Cod. Aug. T. I. pag. 389. seq.

mentio facta deprehenditur. Vnde consequi videtur, pro usu huius oblationis intra octiduum sub iurisiurandi iactura faciendae in illis terris vel ideo adhuc pronuntiandum esse, quod partim in illis momentis, in quibus haec lex singularem procedendi modum, tamquam exceptionem a regula, haud praescripsit, nec receptis sollemnitatibus aliquid expressis verbis detraxit, pristina causas ordinarias atque maiores tractandi forma etiam in minutarum cognitione tacite approbata censeretur; partim temporum fatalium natura et finis vix patiatur, ut eorum usus ac rigor, expressa sanctione semel stabilitus, aliter, quam noua lege expressa contraria, iterum tollatur. Accedit aliud ex ipsa legis nostrae, litis ambagum in hoc causarum genere minuendarum causa scriptae, ratione ductum argumentum, quo causarum patronos uti memini, nempe, tantum abesse, ut necessitas partis litigantis, ad iurandum iniunctum intra octo dierum spatium se offerendi, hunc legis finem impediatur, ut potius cum eo amice conspiret, eidemque apprimere inferuiat, cum sic occasio litem per iurisiurandi praestandi dilationem vel iudicis arbitrio, vel partium culpa ulterius protrahendi statim praescindatur.

At haec argumenta tantum non valent, ut usum termini fatalis, in oblatione ad iurandum alioquin in foris Schleusinga - Hennebergicis adhuc obseruandi, etiam in causarum minutarum processu ibidem obtinere demonstrent, sed fortioribus rationibus, quae contrariam opinionem suadent, vincuntur. Nam primum quilibet, qui integram hanc legem Saxoniam de causis minutis diligenti oculo perlustrat, et accurate ponderat, non potest non ex eius serie ac spiritu statim intelligere, primarium legislato-

VI

ris finem hunc fuisse, vt, sublatis omnibus rei iudicariae ambagibus et sollemnitatibus haud necessariis, alias ad legitimam caussarum maioris momenti disceptationem requisitis, ea tantum seruantur, quae ipsam quasi formulae iudicariae naturam rerumque iudicis auctoritate gestarum certitudinem ingrediuntur. Id quod praeter generalem sanctionem in §. II. obuiam, qua iudices in eiusmodi caussis, *ohne alle processualische Weitläufigkeiten zu verfabren*, iubentur, inprimis ex iis apparet, quae de actione neque iurisiurandi delatione, neque alio probandi medio in continenti suffulta, confestim reiicienda; de termino Saxónico haud obseruando; de minus sollemnis rei ad libellum responsionis (*Einlassung*) sufficientia; ^{b)} de probationis sollemnitate aut conscientiae exoneratione, ac in vniuersum vltiori demonstratione plane non admittenda, sed caussa primo statim decreto, vel ex aequo et bono, vel praeuio iureiurando absque mora decidenda; de leuterationis remedio prorsus inutili; de beneficii appellationis vsu restricto; deque celeri decretorum executione ibidem proposita leguntur. Vt autem litigator, qui iussus est iurare, ipse intra certum temporis spatium ad iurisiurandi praestationem se offerat, ad substantiam processus haud pertinere, nemo, vt opinor, rerum forensium peritus negabit, cum idem finis, nempe sacramenti vel praestatio vel desertio, in termino

b) Scilicet etsi in ipsa lege litis contestationis sollemnitas in caussarum minutarum processu exulare expressis verbis haud iubetur, id tamen ex iis, quae de forma citationis a iudice emittendae §. III. occurrunt, vbi quidem non verbis: *Einlassung und Antwort*,

quae litis contestationem specialem innunt, sed sola voce: *Einlassung*, qua minus sollemnis responsio idiomate forensi significatur, vsus est legislator, tuto colligitur, et fori vsu probatur.

termino a iudice vel sponte et, vt aiunt, officii caussa, vel rogatu aduersarii praefixo non minus obtineri possit, ac si altera pars aut praevia oblatione iurauerit, aut, hac omissa, caussa ceciderit. Quid igitur prohibeat, hanc oblationis necessitatem inter meras rei iudicariae sollempnitates et ambages referre, quarum minuendarum ac tollendarum gratia haec lex proposita fuit? Nec speciosa ratio supra allata, hunc ipsum fatalem oblationis terminum potius commodum finis litium accelerandi medium, quam impedimentum videri, quemquam, vt aliter sentiat, mouere debet. Etenim cum, licet oblationis necessitate sublata, tamen et ipsi litigatori iuramento facultas se offerendi, ac terminum, in quo iusiurandum praestet, petendi nullibi adempta, et aduersarii arbitrio relictum sit, rogare iudicem, vt terminum iuramento ab altera parte sub desertionis poena praestando praefigat, et, neutro intra octo dies, postquam decretum vim rei iudicatae nactum est, petente, iudex sponte diem partibus dicere possit, immo debeat, c) intelligitur profecto, haud facile verendum esse, ne, cessante oblationis necessitate, lites magis, quam cum ea obtinuerit, protrahantur.

Deinde ex serie et argumento legis nostrae eiusdemque cum *Ordinatione Processus Saxonica Recognita* comparatione haud difficili opera cognoscitur, in illa condenda legislatorem formam procedendi in hac definitam potissimum

c) Ita praescriptum in *Ordin. Proc. Sax. Recogn. ad Tit. XVIII. §. 7.* ad quem locum, quippe terminum oblationis fatalem, alio procedendi modo substituto abrogantem, in hoc ab utilitate oblationis ducto argumento refellendo imprimis respiciendum est.

VIII

mum ante oculos habuisse, ita, vt illam in omnibus capitibus, circa quae nihil singulare, aut quod a noua formula iudiciaria recedit, ibi sancitum deprehenditur, ex hac explicari et suppleri voluisse videatur. Patet hoc imprimis ex collatione §. I. II. III. IV. et V. nouae huius legis de caussis minutis cum iis, quae in *Ordinat. Proc. Recogn. ad Tit. I. §. 6.* de hoc caussarum genere occurrunt, et in illis locis ad verba fere repetita sunt. Quapropter etsi *Ordinatio Recognita*, quae fatalem oblationis ad iurandum necessitatem respuit, in terra Schleusingensi vim legis in caussis ordinariis non habet, tamen vt in dubiis quaestionibus circa lites minoris momenti, vbi expressa peculiaris legis dispositio deest, aliqua illius ratio saltem in subsidium ibidem habeatur, mens legislatoris omnino exigere videtur.

Haud leue porro pro nostra sententia argumentum ex ipsa natura et fine huius oblationis duci potest. Scilicet cum oblatio ad sacramentum praestandum simul eius acceptationem contineat, in aprico est, illam in caussis, vbi iurandi delatio facta, eatenus tantum vtilem esse, quatenus adhuc post sententiam super ea latam iuraturi electio est, velitne iuramentum acceptare, an referre, an conscientiam probatione defendere? vt adeo octiduum, intra quod haec oblatio inclusa, simul spatium deliberandi, quam ex his tribus viis inire reus satius existimet, contineat d).

Sed

d) Quod abunde patet ex *Ordin. Proc. Sax. Vet. Tit. XVIII. §. 8.* imprimis ex verbis: *auch auf den letztern Fall, wann ers ihm allein bedingt, sich binnen der Zeit, da er son-* *sten Citation zur Eydesleistung auszubringen schuldig, eigentlich erklären: Ob er den Eyd referiren, oder selbst schwören, oder sein Gewissen mit Beweifung vertreten wolle?*

Sed quis eius vsus circa iusiurandum controuersiae super caussa minuta decidendae gratia praestandum? Nullus profecto, eiusdem fine in hoc caussarum genere ex nouae legis mente prorsus cessante, quippe quae de iuramentorum praestatione §. V. ita sanxit: *Also soll auch zwar denen Partheyen, in Ermangelung andern Beweises, der Eydes-Relation sich zu gebrauchen unbenommen bleiben, jedoch in solchen Fall einige Gewissens-Vertretung im geringsten nicht statt haben, sondern derjenige, dem der Eyd bey der Klage deferiret wird, sofort der Acceptation oder Relation halber, bey Verlust der letztern, sich erklären, und hierauf, nach vorgängigem Eyd vor Gefährde, die wirkliche Leistung des deferirten oder referirten Eydes erfolgen.* Cum igitur hoc nouo iure in caussarum minoris momenti discussione reo exoneratio conscientiae per probationem plane adempta, arbitrium vero vel acceptandi, vel referendi iusiurandum delatum ita restrictum sit, vt is, nisi ante iudicis decretum alterutrum elegerit, referendi facultate priuatus censeatur, quis, quaeso, ex hac oblationis post decretum publicatum necessitate fructus sperandus? Ergo vt ea in litibus exiguae aestimationis penitus exulet, et legis ratio, et iuris analogia omnino suadet.

Maximam denique auctoritatem huic sententiae conciliat ipsa Summi Legislatoris authentica interpretatio, quam Rescripto d. XIV. Maii a. MDCCLXXI. ad illustre Collegium regundae ditionis Schleusinga-Hennebergicae caussa constitutum (*Ober-Aufsicht*) dato factam esse, ex mandato ab hoc Collegio d. X. Iunii eiusdem anni ad Praefectum Schleusingensem misso, et in actis iudicialibus a me reperto, cognoscere licuit, cuius tenor hic est:

B

„In

„In Schuld - Sachen Rosinen Barbaren Sixin wider Andreas Lindenlauben ist Beklagter, weil Klägerin zu dem ihr fol. 39. der hiesigen Amts - Acten nachgelassenen Suppletorio intra fatale sich nicht offerirt hat, per Decisum fol. 70. absolvirt, und Klägerin in die verursachten sämtlichen Kosten condemnirt worden; darwider dieselbe Appellation eingewendet, und zugleich um Interpretation des Königl. Mandats vom 31. Dec. 1754. den passum der oblationis ad iuramentum in causis minutis betreffend, nachgesuchet. Auf unsern hierunter erstatteten unterthänigsten Bericht haben Sr. Churfürstl. Durchlaucht zu Sacöfen etc. Unser Gnädigster Herr, vi Rescripti Clementissimi d. d. 14. May a. c. die Sache dahin zu entscheiden anbefohlen:

Dafs Klägerin amoch zu dem ihr zuerkantten Suppletorio zuzulassen, und ihr dazu ex officio ein Termin anzuberaumen sey etc.

In Conformität dieses gnädigsten Rescripts hat der Herr Cammer - Commissions - Rath und Amtmann Thyme, welchem die mittelst Berichts vom 6ten April a. c. eingeschickten Amts - Acta an 1. Vol. anbey remittirt werden, das nöthige weiter zu veranstalten.,,

Itaque secundum hanc sententiam Ordo noster litem inter duas viduas rusticas, Zentgrafiam et Kühneriam, coram praefectura Schleusingeni circa obligationem communem gregis in sua vniuersitate bouem in orbe alendi ab anno MDCCCLXXIX. agitatum, compensatis tamen expensis, nuper decidit. Scilicet iudex super facta inter partes iurandi delatione ac relatione ita decreuerat:

„Würde

„Würde Klägerin den ihr von Beklagter zurück geschobenen Eyd, und daß Beklagte als Mitbesitzerin des Hof Bauers Guths, wenn die Reihe des Heerd-Ochsen-Haltens sie getroffen, diesen Heerd-Ochsen würklich gehalten, auch erst vor etnigen Jahren Klägerin, da sie der Beklagten Antheil des Guths in Pacht gehabt, für die Beklagte, auf deren Geheiß den Heerd-Ochsen gehalten habe, nebst dem Eyde vor Gefährde schwören, so ist Beklagte auch fernerhin, so oft ihr Guth die Reihe trifft, den Heerd-Ochsen darauf zu halten, sowohl sämtliche verursachte Unkosten Klägerin zu erstatten schuldig.“

Quo decreto vires rei iudicatae nacto, nec aëtrice, quae iurare iussa erat, intra octiduum ad iusiurandum praestandum se offerente, rea eam sub neglecti termini oblationis fatalis et deserti iurisiurandi praetextu contumaciae accusat, et, vt ab instituta actione nunc absoluat, petit. Hinc noua lis inter vtramque orta de oblationis necessitate, etiam in caussis minutis seruanda. Nam ipsam rem et obligationem, super qua hic certabatur, ob exiguas impensas, quas in singulos annos distributas cum hoc onere, quippe post plurium demum annorum lapsum per orbem redeunte, coniunctas esse patebat, inter caussas minores referre, ne ipsae quidem litigantes partes dubitabant. Tandem ordo noster, ad quem acta mittebantur, oblationem ad iurandum in hoc caussarum genere plane abundare ratus, mense Octobri praeteriti anni sic pronuntiauit;

„Hiernächst hat die fol. 12^b. wider Klägerin angebrachte Ungehorsams-Beschuldigung nicht statt; sondern es ist dieselbe

dieselbe in dieser, denen geringfügigen beyzuzählenden Sache, des von Beklagter beschebenen Einwendens ungeachtet, zu denen ihr fol. 8. Rechtskräftig zuerkannten Eiden annoch zu lassen. Beyderseits aufgewandte Unkosten aber werden billig gegen einander aufgehoben. V. R. W.,

Haec de sublato vsu necessitatis ad iurandum se offerendi in caussis minutis dixisse sufficiat. Iam aliud me vocat officium. Est enim sollempnitas inauguralis indicenda, in qua Candidato doctissimo, magni patris, eheu! ante paucos menses reipublicae litterariae et Saxonicae Themidi morte erepti, filio dignissimo,

M. ERNESTO FLORENTI FRIDERICO
CHLADENIO

VITEMBERGA - SAXONI

supremi iurisscientiae honores conferendi sunt. Is quidem de vitae suae ratione rebusque ad se pertinentibus ipse haec retulit:

Ego, Ernestus Florens Fridericus Chladenius, anno huius seculi LVI. Vitembergae natus, patrem veneror D. ERNESTVM MARTINVM CHLADENIVM, Serenissimo Electori Saxoniae a Consiliis Aulae et Iustitiae, Facultatis Iuridicae in academia Vitembergenfi Ordinarium,

rium, Curiae prouincialis et Scabinatus ibidem Assessorem primum, Consistorii Ecclesiastici Directorem, Decretalium Professorem Publicum Ordinarium, quem die IV. Martii a. c. morte mihi ereptum adhuc lugeo, et matrem, IOANNAM SOPHIAM, IOANNIS FRIDERICI CLEMENT, Protonotarii Curiae prouincialis Vitembergensis, filiam, anno huius seculi LXI. pie defunctam, quorum parentum optimorum beneficia inde a tenerrimis annis in me collata gratissimo animo ad cineres usque prosequar. Tradiderunt me parentes optimi domesticis praeceptoribus, religione et bonarum litterarum cognitione imbuendum, HEIMPOHLIO, nunc Pratae apud Vitembergam Sacerdoti meritissimo, et VOGELIO, qui Reuerendi Ministerii Candidatus Dresdae commoratur, quorum fidei atque doctrinae multum me debere profiteor. Ex eorum disciplina anno LXXI. in scholam prouincialem Grimmanam missus sum, ibique manudentibus Viris Celeberrimis, KREBSIO, MVECKIO, HOFMANNO, REICHARDO, et RICHTERO, praeceptoribus et docendo et admonendo optime de me meritis, in hospitio et conuictu MVECKII, cuius memoriam gratissimo seruabo pectore, triennium peregi. Quo finito redux Vitembergam et anno huius seculi LXXIV. ciuium academicorum numero a BOEHMERO, tum temporis Rectore Magnifico, adscriptus, philosophiae et bonarum litterarum causa secutus sum scholas Virorum Excel-

lentissimorum, b. RITTERI, TITII, HILLERI, SCHROECKHII, EBERTI, BODENII, et ZEVNII: in Iurium scientia uberrimos fructus percepi ex doctrina Virorum Illustrium et Consultissimorum, CHLADENII, patris mei pie venerandi, KRAVSII, PAVLI, FISCHERI, WIESANDII, REINHARDI, KLVEGELII, et HOMMELII: medicinam forenses LANGGVTHIVS, botanicen BOEHMERVS, Viri Experientissimi, me docuerunt. Exacto in academia Vitembergensi quadrienio ad Lipsiensem academiam accessi, ibique Rectore Magnifico ERNESTIO inter ciues academicos relatus, doctoribus vsus sum Viris Celeberrimis, b. ZOLLERO, SEGERO, PVETMANNO, SCHOTTO, WOLLIO, KINDIO in Iure; b. BOEHMIO in Historia et Notitia Statuum; PLATNERO in Medicina forensi, et LESKIO in Historia naturali. Die XX. Februarii superioris anni sub praesidio Illustris SEGERI, cuius benevolentiam singularem grata semper venerabor mente, Dissertationem de banno contumaciae a me conscriptam, defendi. Quo facto examen pro Candidatura et praxi feliciter sustinui. Eodem anno Amplissimus Senatus Lipsiensis munus Notarii, et Inclytus Ordo Philosophorum in hac academia dignitatem Magistri artium mihi impertiuit.

Atque

Atque cum doctissimus Candidatus iam praeterlapso anno denuo nos adiret et examen, vulgo rigorosum dictum, quod iis subeundum est, qui ad supremos Themidis honores aspirant, a nobis peteret, non solum honestissimis eius precibus lubenter annuimus, sed etiam tam egregiam in eo esse iuris doctrinam deprehendimus, ut vnanimi omnium iudicio dignissimus Doctoris elogio censeretur. Quod quidem ut rite secundum Ordinis nostri instituta in eum conferri possit, primum futuro die XIX. huius mensis hora II. post meridiem audita Legis II. Cod. de rescind. emt. vendit. interpretandae publice in auditorio nostro periculum facturus est, deinde proxime sequenti die Iouis, qui est XX. praesentis mensis, Dissertationem inauguralem *de charactere ecclesiastico Principum*, in eodem auditorio ab hora IX. solus sine Praeside defendet. Quo certamine literario finito Vir Illustris atque Excellentissimus, D. IOSEPHUS LUDOVICUS ERNESTVS PVETMANNVS, Tit. de Verb. Signif. et de Reg. Iur. Antecessor et Ordinis nostri Assessor, Fautor et Collega mihi imprimis colendus, in quem Promotoris munus a me rite constituto Procancellario delatum est, dignissimum Candidatum ritu maiorum Iuris vtriusque Doctorem creabit, eidemque omnia iura ac priuilegia, quae cum hac dignitate coniuncta esse solent, si solam spem, aliquando in collegio nostro sedem atque suffragium nanciscendi, exceperis, tribuet.

Hanc igitur panegyrim vt RECTOR ACADEMIAE
MAGNIFICVS, CELSISSIMI PRINCIPES, ILLVSTRIS-
SIMI COMITES, GRAVISSIMI VTRIVSQUE REIPV-
BLICAE PROCERES sua praesentia splendidiorum redde-
re, eidemque GENEROSISSIMI AC NOBILISSIMI CI-
VES

XVI

ves frequenter interesse velint, et Ordinis nostri, et Candidati, et mei ipsius causa ea, qua par est, obseruantia rogo. Proposui Dom. III. post Festum Trinit. A. O. R. MDCCCLXXXII.

L I P S I A E

EX OFFICINA IACOBÆERIA.

